

*Clerig : Locus
Livi et Dionys.
Haic.*

*Ch.
3853*





6
VIRO CLARISSIMO
DOCTISSIMO
THEOPHILO SAMVELI
FORBIGERO

AA. M.

MVNVS CONRECTORIS SCHOLAE
NICOLAITANAE
GRATVLATVR
SOCIETAS AMICORVM
INTERPRETE
GOTTLIEB ERDMANN GIERIG,

COMPARATVR LOCVS LIVII ET DIONYS. HALIC.

LIPSIÆ MENS. OCTOBR. CMDCCLXXVI.

EX OFFICINA LANGENHEMIA

Ch 3853



VIRO CLARISSIMO
DOCTISSIMO
THEOPHILUS SAMUEL
FORBES
M. A. M.
VIRI COMMERCII SCHOLAE
NICOLAUS
DE
SOCIETAS AMICORUM
INTERPRETE
GOTTFRIDUS ERDMANN GIBBIO
DE
DE
DE
DE
DE





VIR CLARISSIME
INGENIO ET DOCTRINA
EXCELLENTISSIME
AMICE OPTIME.



In bonis historiae Romanae auctoribus haud vltimum locum tenet, quod *Tu* minime ignoras, Halicarnassensis Dionysius, elegantissimi iudicii scriptor. Vt enim iam nihil dicam de incredibili eius industria atque diligentia, qua reconditas gentis Romanae origines perferutatus est, quae *Liui* etiam breuitati lucem haud raro affundit clarissimam, duabus ille virtutibus sese potissimum commendat. Ac primo quidem, quod domesticis rerum Romanarum scriptoribus, quamvis veri studiosis, subinde obrepere solet, vt, nimio patriae amore abrepti, rerum gestarum vel praestantiam praeter modum augeant, vel turpitudinem velent; ab eo quidem Dionysius, homo graecus, fuit alienissimus. Quamquam enim nihil ei prius fuisse apparet, et antiquius, quam sapientissima instituta, quibus res Romana ad tantam amplitudinem,

A 2

digni-





dignitatemque prouecta erat, dilucide exponere; nunquam tamen malis artibus abusus deprehenditur, iis contentus, quae certa fide tradi poterant. Qui itaque, ut vno exemplo defungamur, apud Liuium legit, quo modo vnius Horatii Coclitis manu atque armis maximae Etruscorum copiae a ponte sublicio repulsaе sint, is Deum propemodum aliquem, specie humana indutum, pugnas se credat: at Dionysio in partes vocato, fortis quidem viri et ferocis, hominis tamen apparet facinus. Eadem eius fides cernitur et in alio genere. Nam cum omni ferme tempore in partes diuisa esset ciuitas, plebe lucente cum nobilibus, fieri vix poterat, quin scriptores quoque Romanos mali istius contagio attingeret, mentesque eorum in rebus domesticis describendis corrumperet. Ille vero, neutri parti iusto plus fauens, res, ut erant, ita proponit. Alterum porro in quo praecipuas utilitatis laudes tribuerim Dionysio, copiosa est et diligentissima rituum Romanorum omnium, cum sacrorum, tum ciuiliū et militarium expositio, quorum nempe institutio in eam aetatem cadit, quam opere suo complexus est. In quo quidem genere an habeat alium, non dicam superiorem, sed sui similem, dubito. Neque tamen id mirum videri debet. Nam cum popularibus potissimum suis, quibus ea ignota essent, historiam conderet, ipsa instituti ratio eum admonebat, ne hanc antiquitatis partem negligentius tractaret. In nullum igitur institutum Romanis proprium incidit, quod non sedulo exponat, cum aliarum gentium moribus conferat, verba que in eo usitata illustret. Theſaurum itaque Romanae antiquitatis dixerim, ex quo illa facilius petitur, quam ex ipsis Romanis: tutius certe, quam e vulgaribus in eo genere libellis.

Sed ut in his superior, nobis quidem, videtur Dionysius, ita in caeteris dotibus, quibus operis historici praestantia cenſeri solet, in primisque si ingenii vim spectes, multum ille relinquitur a Liuiō. Non negauerim equidem reperiri etiam in Dionysii antiquitatibus particulas concionesque bellissime scriptas, Liuii tamen diuinam dicendi vim non potuit assequi. Est enim hic, *Quintiliano, acutissimo ingeniorum iudice, verissime obseruante, cum in narrando mirae iucunditatis, tum in concionibus supra, quam enarrari potest, eloquens.* Adeo omnia cum personis, tum rebus

artem-

attemperata reperiuntur. Atque hoc discrimen satis mihi perspexisse videor, instituta nuper perpetua vtriusque comparatione.

Iam cum hoc *Tuo* tempore, Vir Praestantissime, ab amicis, quos sociauit Tibi librorum nouorum legendorum studium, suauissimum mihi iniunctum esset officium, gratulandi Tibi honores demandatos; neque a communibus nostris litteris alienum, neque Tibi ingratum fore speraui, si, idem nunc premens argumentum, nobilem aliquem locum eligerem, ab vtroque scriptore non sine arte tractatum, in quo de ingenii principatu contententes eos introducerem. Ex multis placuit eligere certamen illud, quod a trigemini fratribus, Horatiis et Curiaiiis, de Romanorum et Albanorum imperio, Tullo Hostilio regnante, commissum est,

Dionys. Halic. III, 18. 19. Liu. I, 25.

Loca ipsa, quibus certamen describitur, paullo longiora sunt, quam quae capiant huius libelli angustiae. Dabis ergo mihi hoc, vt statim disputationem ipsam aggrediamur. Quae si Tuo ingenio, quod Tibi a natura contigit acerrimum, quodque omni liberali eruditione tractanda, mirifice excoluisti, quodam saltem modo probata fuerit, impense laetabor.

Neuter vero simplici narratione defunctus est, sed vterque, sententiis adspersis, vt legentium voluptatem, ita ingenii sui laudem captasse reperitur. Tanto rectius poterunt committi, neque habebit alter, si victus discesserit, quod hac ex parte de iniuria conqueratur. Sed omnia cum puluisculo excutere, remque versare in omnes partes, neque vacat, neque placet. Vbiq̄ breuitatis erimus studiosi.

Iam vero narrationis bonae non postrema virtus debet haud dubie esse *breuitas*. Ea autem non in ieiuna et contracta rei gestae enumeratione cernitur, sed primum in eo, vt rei partium et περιόδων delectu habito, refecentur, quae nec cognitionem, nec voluptatem augeant, aut adeo sua sponte intelligi possint. deinde, si instructa fuerit narratio et ornata, ne sententiae adpersae affectuumque notationes nimis extendantur: denique vt vexpis quoque parcatur. Si quid aliud praeterea in breuitatis praeceptis ponitur ab eloquentiae magistris, id, quia in hac nostra causa nihil valet, omitimus, Iam si hac ex parte Nostri inter se comparantur



parantur, non dubia relinquitur victoria. In omni enim Liuii narratione nihil est, quod demi possit, quin aut desit aliquid partium necessariarum, aut multum suauitatis et gratiae pereat. In Dionysiana contra sunt, quae quis sublata malit. In principio enim arma describuntur, quibus ornati fuerant iuuenes. haec primum illi tradunt armigeris, mox recipiunt. Iam parant se ad pugnam, incipiunt recedere, qui eos in medium campum persecuti fuerant. Vbi vulnerantur, partes quoque corporis sedulo nominantur, quibus vulnera inscripta sint, et quae sunt id genus alia: quae quidem omnia aut sponte possunt intelligi, aut nihil saltem profunt ad rem. Etenim quis quaeſo in descriptione certaminis eius, quo duarum ciuitatum summa periclitatur, tales minutias desideret? Quanto rectius alter ille, qui ad grauiora intentus, talia neglexit. Verum enim vero quamquam illa sunt inutilia, ferantur tamen et condonentur puritadæ diligentiae Dionysii, qua interual- lum adeo, quod certaturis inter vtramque aciem relictum erat, geometrice definiuit. Illud tamen excusari nequit, quod etiam in spectatorum sensibus describendis, causisque eorum, quae gerebantur, reddendis, breuitate neglecta, plus taedii lectoribus creat, quam voluptatis. nam quae Liuius breuiter adspersit, ea ille copiose persequitur, et, veluti diffidens lectorum ingenio, adeo inculcat. Veluti in principio cp. 19. quae breuissime sic dici poterant, vtrumque exercitum clamando adiuuuisse milites suos, ea per bene multos versus trahit, dum ait, id factum esse, et vociferationibus, et adhortationibus, et votis, et euulatibus, et aliis cuiusuis affectus vocibus, tam de re praesenti, quam de incerto exitu futuro, quae, meo quidem iudicio, hic sunt admodum languida, cum satis fuisset eorum indicasse summam. Porro vbi duo Romani expirantes corruunt, apud Liuium Albanus exercitus nil nisi conclamat gaudio; quo etiam Dionysius contentus esse poterat. Verum is, verens, opinor, ne ignoraret lector, vnde iste clamor, *ὡς δὲ τῆτ',* inquit, *εἶδον εἰ θεαταὶ τῆς μάχης, ἀμα πάντες ἀνεβόησαν, Ἄλβανοὶ μὲν, ὡς νικῶντες ἤδη. Ῥωμαῖοι δ' ὡς κρατέμενοι, τὲς γὰρ δὴ σφετέρης δύο τριῶν Ἄλβανοῖς ἐνκατεργάσας ὑπελάμβανον γενήσεσθαι.* Tradiderat proelium diu anceps fuisse. hic aut causa omnino poterat omitti, quod fecit Liuius, aut bre-



breuiter tantum attingi. Molestum igitur est, quod tribus causis anxie recensendis immoratur. Vbi etiam de Albanis vnus cadit, bene admonet et certaminis rationem et spectatorum vtrorumque animum esse immutatam. Verum hic debebat insistere, neque pergere sic; καὶ Ῥωμαίων μὲν ἀναθάρσυσάντων ἐν τῆς πρότερον κατηφείας, Ἀλβανῶν δὲ ἀφρημένων τὸ χάριεν. — Denique in *verbis* quoque mira est Liuii breuitas. Quis non admiretur illa: dum Albanus exercitus inclamat Curiatiis, vt opem ferant fratri, iam *Horatius caeso hoste victor secundam pugnam petebat*. Qua verborum breuitate etiam rei subiectae celeritatem egregie expressit. Dionysius contra male interdum prodigium in verbis deprehenditur. Vnum exemplum laudasse satis sit. Ὅψὲ δ' ἔν τε ποτὲ ὁ πρεσβύτατος τῶν Ἀλβανῶν τῷ πρὸς αὐτὸν ἀντιτεταγμένῳ συμπλέκεται πάϊων τε καὶ παιέμενος ἀλλαις ἐπ' ἀλλαις πληγαῖς. satis verbose. quid vero, his ambagibus missis, dixit? *Consertis deinde manibus, nihil fere praeterea*. Verum haec vel breuitas, vel longitudo cum per omnem orationem fusa sit, facilius multo narratione integra perlegenda sentiri potest, quam hic singulis et excerptis exemplis demonstrari.

At vero licet interdum, immo adeo oportet, siue obscuritatis fugiendae, siue iucunditatis adiuuandae causa, negligere breuitatis praecepta. Scio: et admiratur adeo Cicero longissimam illam Terentii ἔῆσιν, quam Simo vita gnati enarranda expleuit, quamuis fere decem versiculis totum conficere potuisset. Sed an inde aliquid defensionis parari possit Dionysio nostro, vehementer dubitem: cuius prolixitas et verborum ambages tantum abest, vt intellectum et suauitatem augeant, vt eam potius minuerent videantur.

Sed satis haesimus in breuitate. Qua vero arte, sententiis iudiciisque interpositis, mores hominum et sensus, qui huic spectaculo intererant, Nostri explicauerint, causasque eorum, quae gerebantur, expresserint, id nunc videamus. In eo autem, vt vel suis quemque sensus docet, illud praecipue spectandum est, vt omnia ex ipsa mentis humanae natura hausta sint: vt personis, rebus, locis, temporibus etiam conueniant et digna sint. Res denique ita effingendae sunt, vt eas tanquam praesentes cer-
nere,



nere, iisque immisceri videamur. Quo etsi nihil facilius est motu, ad exsequendum tamen difficile admodum reperitur. Tanto gloriosius erit hic quoque excellere, tantoque faciliorem excusationem habebit is, qui inferior videbitur.

Primum autem *certantes* contemplemur, quales uterque descripserit. Liuiani ergo iuuenes *feroces et suopte ingenio, et pleni adhortantium vocibus, veluti acies, in medium procedunt, magnorum exercituum animos gerentes. nec his, nec illis periculum suum, publicum imperium seruitiumque obuersatur animo.* Dignos bellicoso Tullo milites! Dignos ciuitatibus iis, in quibus non nisi bellicae virtuti laus et gloria esset; in quibus nihil existimaretur gloriosius, quam sanguine suo salutem patriae redimere, vitaeque pro ciuibus profusa, aeternam lucrari memoriam. Et tales iuuenes nunc prodeuntes, manusque conferentes quis non cernere cupiat? Magnitudinem autem et ferociam istam animorum ita declarauit Liuius, ut nihil esse possit efficacius, summa tamen breuitate. Non enim inanem verborum strepitum arcessit; alio modo didicerat egregius ille orator rei magnitudinem oratione assequi. Exigua admodum manus, immo *terni iuuenes*, velut *acies* prodeunt; *magnorum exercituum*, quorum personas veluti sustinent, *animos quoque gerunt.* Sola igitur comparatione effecit, quod voluit. Ea autem placet, quia non alte reperita est; animumque ferit, quia sublimitatem quandam spirat. Vnde vero isti tanti animi? *feroces erant suopte ingenio*, quippe Romani et Albani, quibus ferox illud ingenium cum lacte materno instillatum; inter crebras fortitudinis laudes, quibus eorum vrbes resonabant, confirmatum; bellis denique continuis exercitatum erat. *et pleni adhortantium vocibus.* Vocibus his: Dii patrii, patria, parentes, ciues, milites, vos intuentur. In vestris manibus salus publica posita est. *Ipsi denique cogitant*, periclitari summam, *eam fore patriae fortunam, quam ipsi fecissent.* Quid mirum ergo, si sumunt integrorum exercituum animos?

Quales vero heroes Dionysius producit? nempe mulierculas propemodum. Ii enim, depositis armis, amplectuntur se inuicem, suauissimis se nominibus compellant et lacrymis pene diffluunt. Sed praestat audire ipsum. *Προσδραμόντες περιβαλλον ἀλλή-*



λας κλαίοντες, καὶ τοῖς ἡδίστοις ἐνόμασιν ἀνακαλῶντες. Non desiderant haec meam orationem. Quis enim non auerfetur milites tales? Ergone per hos milites tot clades finitimis intulit Tullus? Sed quid excusationis loco proferri possit, video. Scripserat ante Dionysius consanguineos fuisse Horatios et Curiatios. Non mirum igitur videatur, si sancta consanguinitatis officia istas lacrymas expresserint. At primum nescio qua auctoritate id tradiderit Dionysius. Deinde si superstes ille Horatius tam atrocis erat animi, ut, parva victoria, triumphans urbem ingrediens, sororem adeo germanam, sponsi necem lugentem, trucidare non dubitaret, unde hic ista pietas, ut laxiore consobrinitatis vinculo coniunctos patriae causa nollet aggredi? Quicquid sit, neminem fore arbitramur, qui non plus delectetur, in tali quidem certamine, magnanimis istis militibus, quam his mollibus, etiamsi consanguineis.

A certantibus transeamus ad *Spectatores*; et quo animo isti ad minime grauum spectaculum intenti fuerint, ab utroque rursus cognoscamus. Apud Liuium primum, quod admodum credibile est, *sui utrosque adhortantur*. Id auget adhortatione ipsa addita: *Deos patrios, patriam, ac parentes, quicquid ciuium domi, quicquid in exercitu sit, illorum tunc arma, illorum intueri manus, quae quidem oratio et a breuitate et a delectu plurimum habet commendationis*. Longior enim oratio hic perquam inepta fuisset. Tanto magis videndum erat, ut grauissima quaeque eligerentur. quid autem ad incitandum animum nunc fortius esse poterat, quam quae hic coniunguntur, quae singula iam per se sunt longe grauissima. Cum illi in medium processissent, *hi periculi magis praesentis, quam curae expertes erant*. Apta, opinor, sententia, qua mens lectoris praeparatur ad sequentia. Quamquam enim ab armorum periculis in praesenti tuti erant, cum ipsi non pugnarent, nihilo tamen minus cura et sollicitudineangebatur eorum animus. Causam statim suppeditat, *quippe imperium agebatur*. Si hic substitisset, aegre careremus lumine aliquo orationis: sed pergit — non, *in tam paucis positum*, — sed, *in tam paucorum virtute et fortuna*, quae duo in bellis dominari constat. Haerebant igitur inter spem (*erecti*) et metum (*suspensi*). Neutro



tro inclinata acie *torpebat vox spiritusque*. Si quid duri inest in verbis, id abunde compensatur sententiae bonitate. Quemadmodum enim vltimus dolor retinet lacrymas, sic summa animi sollicitudo et anxia expectatio vocem spiritumque intercludit. Vbi corruunt duo Romani, ecce! alia aperitur scena: *Albani conclamant gaudio; Romanas contra legiones iam spes tota, nondum tamen cura deseruerat*. Et erat periculum fati magnum, cum *unum Horatium tres Curiatii circumfletissent*. Mox cum segregata pugna Romanis victoriam portenderet, rursus mutatur spectantium affectus: *Romani clamore adiuuant militem suum*. Addita non contemnenda illustratione: *qualis ex insperato fauentium solet*. Et quam dignum est heroë romano, quod sequitur: *et ille defungi proelio festinat*. — Vel ex his intelligi posse arbitror, quam vere iudicauerit Quintilianus: *affectus neminem historicorum commendasse magis Liviò*. Vbi que intimam mentis humanae cognitionem prodit; vbi que ea repraesentat, quae potissimum in praesenti cogitare debemus, et quae rerum magnitudinem praecipue illustrent. Ipse sensus et natura nostra inter legendum clamat, non posse illa aliter esse.

Patere quaeso, Vir Clarissime, vt post hunc etiam Dionysius, quemadmodum instituius, causam suam agat. Apud hunc igitur primum *sine monitis* sui vtrosque demittunt: id quod nullo modo est credibile. Vbi iuuenes lacrymas fundunt, veniunt vtrique in earum societatem, et suam suorumque regum inhumanitatem accusant, quod consanguineis potissimum rem dirimendam tradiderint: *ὄψε εἰς δάκρυα προπεσεῖν* (sic recte coni. b. Reisk.) *ἀπαντας, καὶ πολλὴν ἀσχερίαν κατηγερεῖν σφῶν τε αὐτῶν καὶ τῶν ἡγεμένων*. Egregios vero milites! Postea breue silentium oritur. Mox, vbi apud Liviium torpet vox spiritusque, apud Dionysium confusae omnis generis vociferationes, mixtae euulsiuibus, ad suos ex vtraque parte mittuntur; quae non minus fortasse certantibus tum molestae fuere, quam nunc legentibus. Summam saltem vtriusque exercitus curam minime exhauriunt. Porro in notando — — sed praestat abrumpere sermonem, ne diutius Tibi sim molestus, quandoquidem nec caetera multo maioris pretii sunt.

Nihil

Nihil dixi de caeteris virtutibus. nihil de delectu verborum, in quo Liuius dominatur. *Vt primo statim concursu increpuere arma, micantesque fulsere gladii, horror ingens spectantes perstringit.* hic repente fit propemodum poeta. *Alter fessum vulnere, fessum cursu trahens corpus, victusque fratrum ante se strage victori obicitur hosti.* Singula in hoc profecto verba ad describendum militis illius et fessum corpus et animum abiectum, exquisitissima sunt. Nihil habet simile Dionysius, quod cum his possit comparari.

Haec igitur habui, Vir Doctissime mihiq̄ue Amicissime, quae de Liuiani huius et Dionysiani loci comparatione ad Te breuiter differerem. Quod si hac disputatione elegantissimo *Tuo* iudicio satis facere non potui, illud tamen apparere arbitror, quemadmodum in certamine illo Romana acies superior discedebat, sic in descriptione quoque eius Graeco palmam eripere Romanum. Is enim, relictis superuacaneis, necessaria tantum memorat; relictus est sententiis, quibus breuiter et commode affectus imitatur, rationesque rerum gestarum, cum magna suauitate, nec sine delectu verborum, reddit. Graecus contra immiscet inutilia; paucioribus vitur sententiis, sed iusto longioribus, adeoque molestis; parum denique obseruauit vel affectuum naturam, vel personarum dignitatem; et quamquam oratio eius satis est aperta, non tamen eximio verborum delectu commendatur.

Veniamus tandem ad amicitiae officium, cui omnis haec scribendi ratio destinata est. Traditae enim mihi sunt a Societate nostra, cuius Tu insigne adhuc ornamentum es, gratulantis partes, voluitque illa, vt, quod gaudium ex munere ad Te nuper delato ceperit, ipsius nomine eloquerer. Quod quidem officium, vt est in se et ad amicitiam grauissimum, et ad animi voluptatem vberissimum; ita mihi inprimis tanto extitit iucundius, quanto magis Te semper ob amplae eruditionis copias caeterasque virtutes, quibus Te excellere et eminere norunt omnes, dilexi atque veneratus sum; quantoque ardentius iamdiu tales Tibi honores optaueram. Magna enim cum voluptate recordor, et semper recordabor, temporis nuperrime prolapsi, quo praelectionibus habendis sub Optimi Praeceptoris nostri praesidio, Magnifici Morus, exercebamur: cuius



ius nomen mihi, quamdiu hunc spiritum ducam, erit venerabile; credo et *Tibi*. In his igitur exercitationibus magna ego perfundebar, cum caeteris amicis, laetitia, quoties Te docentem audiebamus. Tum vero saepius nos et *Tua* et rei litterariae causa optare memini, ut quam primum Tibi occasio daretur, in utilitatem publicam expromendi subtilis variaeque doctrinae *Tuae* copias. Habemus igitur hoc tempore omnes, cur laetemur, cum non modo disputatione sollempni, post paucos dies instituenda, parabis Tibi ius et potestatem publice in hac vniuersitate litteraria docendi; verum etiam nuperrime ab Amplissimo ciuitatis nostrae Senatu Scholae Nicolaitanae, cui Deus faueat! Corrector datus es dignissimus. Equidem quo magis vitae dignitatem, non ex opinionibus vulgi, diuitias, voluptates, oria captantis, aestimo; sed ex ipsa eius utilitate, hoc Te magis felicem iudico. Etenim si nihil est vel gloriosius, vel vtilius, quam bonis litteris docendis prodesse reipublicae; siue tenerorum animos primis sapientiae initiis imbuas, siue adultiorum ingenia in ipsa eius adyta introducas, Tu propemodum inuidendus mihi videris, qui et vtramque prouinciam nactus es, et ita Te parasti, ut vtrique magna cum laude et fructu praeesse possis. Sed neque hic virtutes *Tuas* celebrabo, quae meas laudes minime desiderant; neque Te rogabo, ut, quam spem omnes de Te conceperint, exaequare coneris; quam, etsi magnam, certo tamen Te scio superaturum adeo esse. Nihil igitur restat, nisi ut pro *Tua* salute preces nostras coniungamus. Deus Optimus Maximus diu *TE* ad splendorem et Vniuersitatis et Scholae *Tuae* conseruet, coeptis *Tuis* prosperos adspiret successus, omnesque labores *Tuos* amplissimis quibusque proemiis coronet, donec *TE* in portum perfectae et cumulatae felicitatis perduxerit. Vale, et nobis omnibus, mihiq;e, ut adhuc, ita et in posterum, faue. Scripsi Lipsiae in mercatu autumnali a. Chr. c10ccclxxvi.



Ch 3853

M


VD18

ULB Halle
008 344 973

3







Farbkarte #13

B.I.G.

RO CLARISSIMO
DOCTISSIMO
HILO SAMVELI
ORBIGERO

AA. M.

ONRECTORIS SCHOLAE
ICOLAITANAE

GRATVLATVR
ETAS AMICORVM
INTERPRETE

B ERDMANN GIERIG,

R LOCVS LIVII ET DIONYS. HALIC.

MENS. OCTOBR. CI^oCCCLXXVI.

OFFICINA LANGENHEMIA

6 h 3853

